



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Evropeae Historiae Societatis Iesv Pars ...**

Anglia


**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1671**

Capvt XVII. Voluntariæ poenæ quibus Pondo vinculorum augebat molestias, post annos triginta carcere liberatur. Qualis eius deinceps viuendi ratio. Mors Angli iuuenis horrenda, vocanti Deo in ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10773**

testate officij, & iustitiæ nomine peruersè abutitur ad inuendendum veritati calumniæ & mendacij crimen, allinendum mendacio veritatis fucum; absoluedos reos, & infontes damnandos; quid tribunalia cœtera, quantò à regni visceribus, & Regis auribus semota, tantò licentiùs ad iniuriam prona, & appellationi minus obnoxia ] hæc ille, quorum pro testimonio commodiùs alibi, falsas calumnias proferam acusatoribus improbis perfidia Iudicium dictatas (quod ipsi postmodum surdo conscientiæ flagello adacti, publicè damnarunt) & fraudem nec inter ethnicos auditam, quâ infonte Catholico obiecta falso crimina negante; notabat scelestus tabellio falsum esse, & confessione propria conuictum exhibebat.



*Voluntaria pœna quibus Pondo vinculorum augebat molestias, post annos triginta carcere liberatur. Qualis eius deinceps viuendi ratio. Mors Angli iuuenis horrenda, vocanti Deo in Societatem, surdas aures toto quinquennio præbentis.*

## CAPVT XVII.

**R**E DE AMVS ad Pondo eiùsque vltimum vitæ actum, in qua si fuit admirationi, generositas constans inflexi pro Christo animi, augent profectò admirationem cruces spontaneæ, quibus suum iumentum (sic corpus vocare solitus) onerabat; vt necessariò fuerit à Generali amicè arguendus, monendùsque vt modum asperitati nimix poneret. Sed erat illi mortis quotidie imminentis excusatio in promptu, suique in futurum incurius, id curabat vnum, vt coronam in præsens meritis augetet & erat profectò quo mortem in dies expectaret, cum nulum dilabi occasionis articulum sineret, quin palàm & publicè, priuatim & vbique, & ipsis quoque pro tribunalibus, negaret Reginam aut Ecclesiæ caput & Gubernatricem esse, aut plus aliquid in ea habere sacri iuris quàm alias feminas. Quod erat illic nefas capitale, vnâque extiterat multis Catholicorum, mortis causa. Mortis eiusdem Pondo suspensus expectatione, decem sibi præfixit, quas assiduè versaret optandæ mortis rationes, tanquam boni longis desideriis vocati. Ad illam interea comparabat sese flagellationibus cruentis, somni breuitate incommodissima, & molestissima; continuata inedia vsque ad decrepitum ætatis. Ignoscat, ait rationem sui, ei qui nostris in Anglia præerat exponens; ignoscat R. V. si confidentiùs illi aperiam quod solitudinis meæ tot annis

expertus sum. Cum aulæ nuntium remisissim, egi annos septem velut in eremo priusquam carceri manciparer; triginta in carcere, tres istos liber, & extra carcerem, hoc annorum decursu quadraginta liquido comperi, post humilitatem, paupertatem spiritus, feruentem Dei amorem, mundique contemptum nullis æquè armis terri dæmonem vt ieiunio vigiliis, & precatione. Ac ieiunium quidem vnus in die refectionis continuasse se ait annos quadraginta vocatque hamum efficacem ad capturam vberem animorum & in vestium cultu nec sordes admisit, nec aliquid conditione sua inferius, sed quiddam potius sustinens maiestatis, quod diceret homini ad mortem quotidie pro Christi nomine accincto, diem quemlibet festum & solennem esse cultuque decenti honorandum, nec ingenerandam aduersariis, multo minus Catholicis opinionem status quo detinebatur tanquam infelicitis, sed gloriosi potius, & beati. Precatio, lectio, lucubratio controuersarum quæstionum, sermo de diuinis, & religione ad socios carceris bonam noctis partem, dies integros occupabat. Quanto id rei Catholicæ lucro, Episcopi quàm furiosè tam apertè re ipsa tettabantur, dum illum suis eiectionum custodiis, abduci procul in alias & sepeliri solitarium mandabant, quòd in templa carcerem verteret; in veram sanamque doctrinam hæreticos; fluctuantes & trepidos, in deliberatam fortemque constantiam. [ Pondo noster (scribebat Personius) seiunctus ab omni mortalium contubernio, & affatu, deserto in castello asseruatur solus, ferro vt plurimum & catena grauis. Quàm præter alia, consciscit illi Euangelicorum (sic dici amant hæretici prædicantes) reprehensio verax, & libera. Penetrari ad illum nisi periculosè non poterat, & furtim illi diuinam Eucharistiam afferens Sacerdos, interceptus cum esset, in carcerem actus est. Nunc, Deo laus, aditur facilius, mutuas ad illum mittimus, & accipimus literas & mandata. Narrat iis suas cum Prædicantibus frequentes concertationes, subterranea dicitur defossus custodia, cæca, lucis experti, nisi quam empra pretio & prece lucerna suggerit. Intonso pridem est capite, & promissis admodum capillis. Dormit nuda ferè in humo; vna, duabus, interdum & tertia catena vinctus, nec propterea desinit lepidè nobiscum per literas ludere velut suos dolores, & perpeffiones non sentiret ] ita de illo Personius, qui cum annos triginta in carcere decies mutato expleret, nouo consilio Iacobus Rex captos, Sacerdotes, & Elizabethæ edictis crudelibus mortis reos, exilio damnauit; laicos dimisit liberos. Sic Pondo Belmontium remissus est milliaribus à Vvincestro duodecim; post à nouem-viris consilij publici com meatum accepit extra Angliam nauigandi, probè consciis inquit mihi æquè cordi nihil esse quàm vt Societati me redderem, sed conscendere paranti superueniunt literæ quibus ab eo cui suberat, loco moueri vetabatur. Postremò vnum & decem annos, quibus suo carceri superstes, quales exegerit narrat fusiùs sua quadam ad Personium epistola. Quam vt viris sanctis solenne est ab sui humillimo & abiectissimo orditur sensu, intèrque alia; mihi quidem ait cui datum est aliquid pro Christo pati, nihil attribuo.

Ultimis

Vltimis meis ad P. N. Generalem hoc subscripsi chirographo *Tot annis in statera appensus Thomas Pondus*, si tunc aliquid à me aut postea gestum, Dei beneficio gestum est, de meo quidem nihil habet inde causam exponens cur de se tandiù scribere distulisset. Captus ait pro Christo, iactatus sum in varias tricennalis carceris stationes, fisco solui primum aureos sedecim menstros; annis dein viginti sequentibus octoginta, qui summam vnius & viginti millium excedunt; nauigaturus, bona olim mea, duobus meis ex Patre hæretico diuisi nepotibus, sed à me Catholicè educatis. Subsistere iussus sum quoad aliud Pater Generalis, aut R. vestra consilium iuberet. Nunc ergo voti expès, & grauib; insuper calamitatibus conflctatus nudum me ipsi, & pauperem sisto, vt si quid hoc misero vitæ meæ residuo peragam dignum laude, penes R. vestram eius meritum, & lætitia sit. Querit ex me denique pro sua charitate quid agam? qui viuam? quo animo in religiosa vita proficiam? si fas dictu quod planè sentio, benè felicitèrque me dicam agere, nam quod capitalium Ministris professus sum, qui me Framingamiam in carcerem ducebant, hoc idem nunc, & profiteor vltro, & sum vt spero æternum professurus, me pannos istos, pro Societatis habitu quos gesto, corona regia, minimè mutaturum. De go meis duobus cum nepotibus parco victu; nec sum ille quem multi autumant opulentus; quia me vident in pauperes, vicinis meis largiorem. Ferè autem idcirco à nobilibus diligor, quod à me bona quibus tantoperè inhiant, nullo loco haberi videant. Cibus mihi præparuus, vinum nunquam, nec vnquam medicus cibus est medicina valenti. Ab hoc vitæ tenore familiares vt me dimouerent; importunissimam his annis tribus exhibuere molestiam; durauit nihilo segnùs, durabòque ad mortem, fauente Deiparà, cœloque vniuerso, nec enim arbitror me comprehendisse, sed ad destinatum persequor ad brauium supernæ vocationis. Ad hoc etiam R. V. me adiuuet; sibi nempe multis obstrictum nominibus, & filium in Christo licet immerentem, Domi meæ Belmontij, Iul. 3 1609.

Vixit ibidem sex deinceps annis, & Martij quinto anno 1616. ad coronam perpetui, heroicique certaminis est vocatus. Obit eodem in conclau vbi ante annos septuaginta sex nascendo, brachium capiti extentum præmiserat, futuræ omen victoriæ. Fregit enim ferendo Magistratum furorem potentissimorum & odientium, qui desperata torquendo spoliandòque victoria, cum experti sentirent rem illi omnem præ fide Catholica, & vitam pro nihilo esse, vehementer mirati, odia in amorem, contemptum in reuerentiam verterunt. Quare in afflictà illic Ecclesia, viuentis & mortui clarissimum nomen est, tamen si se ferret ægerimè à scriptoribus illorum temporum laudari. Sed de illo hæctenus, de Mettamo & aliis carceris contubernalibus, qui parem cum illo Societatis in eundæ gratiam exorarunt, in locum alium differo. Iis nunc opinor non malè opponam alium, qui magnis, & certis vocibus Deo Societatem inspiranti cum annos quinque obstitisset, pertinaciam suam morte tragica miser luit,

Anglus Catholicus, oblcuris natalibus anno circiter 1563. Romam venit. Hunc Deus ingenti clamore vrgebat ad Societatem, nec ille vocantis ignorabat vocem, nec dissimulare poterat auditam, secum tamen, & cum Deo pugnans, annos quinque stetit immobilis; non quod vlla in re displiceret ei Societas quam eo ardentius deperibat quo se ingerebat in eius mores vitamque penitius; sed superbus quidam sui amor, & æstimator insolens iuuenem demonstrabat, quæ sibi parem in politioribus literis, & eruditione quadam varia, & leti censebat neminem, & hoc tanti quod putabat thesauri prodigium, non ferebat religiosa domo vitam sepelire, velut hæc forent in Societate, vel ignota vel inutilia; iam illi quinquennium exibat quo toto spes magnas & operam conditionibus quærendis lassauerat cum à Cardinali denique in familiam est adscriptus, ob ingenuam & valde vrbanam quam præ se ferebat indolem; verum vt comperit suum illic ingenium, & polimathiam otiosa marcere; solos pedes, & manus occupari, quod apud illum diu vox Dei non egerat, hoc paucis diebus desperatio confecit. Guillelmum Cretonium Scotum adit, Societatis desiderium quo tenebatur ingens significat, opemque ab illo vt fiat eius compos enixè flagitat; Cretonius & Angli, & alioqui valde idonei piam mentem, abundè propterea maturam, reputans, quod eam quinquennio fouisset, Polanco illum offert; à quo breui, & paucis perspectus admittitur, facta potestate, cum liberet recipiendi se in probationis domum. At is velut natum ea nocte consilium ad eos attulisset, quod annos quinque versauerat, facultate oblata inhorreere; non esse religiosæ vitæ propositum nisi lentè meditatioque ineundum, suspensio incedendum gradu, nec more andabata, sed oculis maximè detersis; sub hæc abit infelix, nec se vltiùs videndum exhibet. Huic tamen quandoque fortuito occurrens Cretonius, & de negotio, quid rei? interrogans, responsionem ex eo pauendam tulit; vellem Pater, vellem etiam brachij sectione Societatem impetrare, sed frustra sum; nec est in mea nunc potestate; dicto attonitus, & dicentis angore, quid ni retulit Pater? si velle tantum sufficiat vt possis? ille, Deo, inquit, ah Pater! annos quinque solidos obstiti, obfirmavi que animum aduersus vocantem; & dum poteram nolui; nunc etsi velim maximè non possum, quo dicto abscessit. Die igitur quodam in aula Cardinalis dum fabularentur cum eo sodales de illo religiosæ vitæ proposito, repente ab ipsis favore subito abreptus, præceps vicinum inspu-teum se misit, ex quo nisi extinctus, nullis valuit machinis educi. Collatis porrò spatiis temporis quo Mercuriani literis in Anglia Pondo adscitus est in Societatem; hic Romæ, præ Societatis desperatione, desperatam sibi consciuit mortem; videntur aut eadem esse, aut ab se inuicem non multum distare.